

De Vita et Cultu

S. Gerardi de Orcimonte

Abbatis primum Florinensis, postea monachi apud Signiacum.

Scriptis P. Germanus Morin O. S. B. Maredsolensis.

Scriptores Bollandiani, ad diem 23. Aprilis, inter praetermissos conjecerunt Gerardum ex Abbate Floriaceno (jam apud Bucelinum mendose pro Florinensi) Ordinis Benedictini, monachum Cisterciensem in Signiacensi monasterio, nulla disquisitione tentata, utrum de aliquo cultu Ecclesiastico ullum vestigium fuerit reperire, annon. Nec mirum, cum nihil fere de beato Viro visi fuerint dignoscere, nisi mentionem ipsius factam in Calendario Cisterciensi et in Menologiis Henriquez, Bucelini et Chalemoti; qui quidem haud raro in acta Sanctorum referunt nomina eorum quibus honores proprie liturgicos nunquam rependit posteritas.

De Gerardo tamen quaedam hucusque inedita documenta a Rdo. viro Dno. decano Florinensi transmissa fuere, quae si jam perspecta habuissent eruditissimi Actorum SS. collectores, profecto sanctum Abbatem ex praetermissis inter admissos induxissent.

Nos igitur pro modulo studentes ne pii Patris memoria omnino intereat, ordinate exponenda duximus quae permittente Deo in manus nostras venerunt tum de gestis, tum de cultu ab immemorabili eidem legitime exhibito.

Pauca sane de b. Gerardo hodie comperta habemus, talia tamen quae nonnihil ad aedificationem conferre valeant, utpote primigeniam illam scriptorum Cisterciensium simplicitatem redolentia. Sed cum ista jam qualiacumque in lucem ediderit Marchantius in Triumpho S. J. Baptistae, lib. 3, c. 12, nec aliunde nobis aliud quid novum suppetat, ne lectorem omnino jejunum dimitteremus, proferre placuit Vitam ab ipsis monachis Florinensibus saeculo XVII^o exaratam, eo praecipue consilio ut apud Sedem Romanam recognitio cultus aliquando introduceretur. Annotatinnuculas solummodo, ubi expedire judicaverimus, passim inseremus.

Vita beati Gerardi de Orcimonte

Abbatis in Florinis anno Dni 1130.

Ex infra scriptis iisque probatis Authoribus per religiosos Florinenses Benedictinos concinnata.

D. Gerardus, frater Domini de Orcimoute,¹⁾ suscepto Religionis habitu in Monasterio Ordinis St. Benedicti prope Florinas,²⁾ dioecesis Leodiensis inter Sabim et Mosam constructo, vir pietatis et eruditionis titulis suo tempore celebris, sedulam adeo operam coelestium rerum dedit contemplationi caeterisque spiritualibus exercitiis, ut inter Confratres suos facile primas obtinuerit. Nam ubi sanctae conversationis habitum induit, divinis suspensus desideriis ad omnem sanctitatis perfectionem sedulo aspiravit. Brevi igitur tempore sanctissimis monasticae vitae disciplinis egregie instructus sui ipsius contemptor praecipuus evasit, vilissima lubens obibat ministeria, paratus ad extremum vitae spiritum servitiis incumbere, adeo ut omnibus esset exemplo et admirationi. Inter haec tam grata religiosae vitae incrementa, Abbas³⁾ praefati Monasterii Florinensis in quo religiosae professionis prius emiserat vota, mortis debitum persolvit, ad ejus Coenobii regimen B. Gerardus fuit assumptus anno 1126, quo in munere monachos sibi commissos cum omni modestia, mansuetudine et pietate rexit ac monasticae vitae collapsa fundamenta restauravit, tandem post multos pro Stae Regulae exauthlatos labores, ad arctioris coepit vitae professionem anhelare; quippe desiderans Deo sibi quietius vacare ac spiritualibus animae suae profectibus securius incumbere.

Quapropter cum concepta pietatis fomenta in dies magis ac magis ardentior quidam divini amoris ignis nutriret, vir summae humilitatis et sanctae paupertatis amator ferventissimus dignitatem abbatialem deseruit anno 1130, et assumptis secum de suis Monachis duodecim Signiacum⁴⁾ veniens se cum suis sociis suscipi petiit et impetravit.

Monachi vero Florinenses moleste ferentes se Abbate suo tam sancto et incomparabili viro destitutos, cum nullis supplicantium precibus acquiesceret, ut rediret, Romam⁵⁾ miserunt, ut litteris Pontificiis per censuram ecclesiasticam ad priorem locum reverti cogeretur: quas quidem litteras impetrarunt; vir autem Dei Gerardus, cum Apostolo posteriora oblitus et ad priora se extendens intendebat potius ad vocem Domini momentis

¹⁾ Olim comitatus in ditone Luxemburgensi. Hodie Orchimont, pagus provinciae Namurcensis, 10 fere leucis distans ad Austrum a Dionanto.

²⁾ Cf. Gallia Christiana, III, 977.

³⁾ Is erat Herzelo, qui fuit primum monachus S. Jacobi Leod.

⁴⁾ Fundat. XX Mart. 1135. Unde b. Gerardum paulo serius ac supra dicitur Florinis discessisse manifestum est. (cf. Janauschek, LXXXII, p. 34, necnon Annal. Mabillon. lib 76, n. 41.)

⁵⁾ Summus Pontifex tunc sedebat Innocentius II, Ordinis monastici causae haud immerito amicissimus.

prosequi ad bravium supernae vocationis, quam ad vocem hominum suadentium redire ad ea quae reliquerat. Unde nec mandato executoris Domini Papae parere volens excommunicatus est, quapropter Romam proficisci coactus fuit.

Illuc cum advenisset, ad pedes summi Pontificis advolutus, absolutionis beneficium postulavit. Summo autem Pontifice ejus petitioni assensum non praebente, sed potius ut ad priorem locum rediret suadente recessit ad hospitium suum tristis et confusus. Et ut nemini communicaret, utpote excommunicatus, juxta asinum cui in itinere insederat, solus in stabulo manducavit nemini quidquam loquens. Quae res cum ad notitiam summi Pontificis pervenisset, accersiri faciens virum sanctum excommunicationis vinculo eum absolvit; humilitatem ejus et simplicitatem plurimum admirans cum benedictione Apostolica eum ad propria remisit, concedens eidem secundum votum suum in Signiacensi Monasterio deinceps conversari.

Ipsa igitur ad Signiacense Monasterium a Roma reversus, obfirmato ad omnes labores et pia certamina animo, coepit inter Cistercienses tyronem emeritus se exercere jejuniis, vigiliis, precibus aliisque mortificationibus carnem affligere eamque spiritui subicere et spiritum ad Creatorem erigere ac suam cogitationem ad coelestia levare. Cum autem aliquanto tempore sancte et religiose conversatus fuisset, ob favorem Ordinis et vitae perfectioris exemplum, functus est officio prioratus et aliquantis supervivens annis, cum apud omnes sanctitatis famam obtinisset, plenus dierum et virtutum in eodem officio defunctus migravit ad Dominum anno Verbi incarnati 1138 die 23^a Aprilis. Qui sicut in vita sua admirandis virtutibus claruit, sic post mortem innumeris miraculis et evidentissimis sanctitatis signis emicuit, cujus proinde nomen cathalogo beatorum Ordinis Cisterciensis adscriptum est nono Kalendas Maji.

In ipso adhuc moriente innata vivebat humilitas, nam cum vicinus esset morti, Abbatem et fratres ad se fecit accersiri, sumopere deprecans et orans ne ipso mortuo corpus ejus in Claustro vel in oratorio sepelirent, sed in coemeterio sub stillicidio tecti oratorii, ut cadaver citius putresceret. Sepultum est igitur corpus ejus juxta murum Oratorii contra altare Sanctorum Martyrum. Ad cujus tumulum quidam febricitantes et diversis aliis langoribus fatigati recuperandae sanitatis gratia concurrentes sanati sunt.

Cum igitur tumulus a multis frequentari coepisset, et pie multitudine populi quotidie adventantis fatigarentur Monachi, nec possent sustinere concursus hominum: venerabilis Abbas istius Monasterii Dominus Bernardus¹⁾ cum quibusdam fratribus ad tumulum eundem accessit et quasi cum vivo loqueretur dicebat: Quid est, frater? Nos de vitae et

¹⁾ Idem sane qui praefectus fuerat duodecim monachorum coloniae ab Igniaco Signiacum deductae. Haud recte igitur Mabillonius quasi de S. Bernardo Clavallensi dicta refert quae sequuntur. (Annal. loc. cit.)

conversationis tuae sanctitate minime dubitamus; quorsum igitur ista miracula? Visne a secularibus ad sepulchrum tuum venientibus quietem hujus Monasterii perturbari? In nomine Domini nostri Jesu Christi praecipimus tibi quatenus a perpetracione miraculorum istorum desistas: alioquin nos corpus tuum extra Monasterium sepeliemus, ut seculares ad tumultum tuum liberum habeant accessum, et ne fratres amplius inquietent. A die ergo illa et deinceps cessarunt miracula.

Postmodum Abbas Signiacensis Aegidius qui praefuit novem annis eidem Ecclesiae, anno 1208,¹⁾ ossa Domni Wilelmi quondam Abbatis Sti. Theodorici et Dni Arnulphi quondam Abbatis Sti. Nicasii et Dni Gerardi quondam Abbatis Florinensis, qui tres eodem tempore dimissa Abbatiali dignitate perfectioris zelo disciplinae a sancto Bernardo Abbate Clarevallensi recenter institutae, ad dictum Signiacense Monasterium, ut in Religiosorum ibidem agentium munerum simul adscriberentur devenerant, de tumultis in quibus ad illud usque tempus jacuerant 23 Aprilis anno Domini 1212²⁾ levavit et eadem cum honore debito intra murum Oratorii juxta introitum Ecclesiae a porta claustrali in quadam theca alba lapidea deaurata collocavit;³⁾ cui translationi interfuere Abbates vicini cum magna devotione et concursu populi, licentia et auctoritate Reverendissimi Domini Archiepiscopi Remensis.⁴⁾

1) Annus posterior textui additus, nec ita accurate, ut videre est not. seq.

2) Sic corrector codicis nostri mss. cum prior scriba posuisset 1234. Quandoquidem indicem Abbatum Signiacensium modo consulere non licet, interim Mabillonio nostro magis credere placuit, qui Aegidium octoginta circiter annis post obitum B. Willelmi († 1147) vixisse asserit; ac proinde priorem conscriptionem veritati magis consentaneam putaverim.

3) Quae sollemnis devotio a Benedict. Papa XIV (De beatif. et canon. 35. lib. II, c. 23, n. 1) assignatur inter authentica documenta quibus probari potest cultus ab immemorablem.

4) Hucusque Vita a Florinensibus concinnata; in cujus fine sequentia adnotata iuvenio:

„Potissima hujus Vitae pars decerpta est ex Archivis Monasterii Signiacensis a Rdo Dno Jacobo Marchantio Oppidi Couviniensis quondam Decano citatis in opusculo suo cui titulus Triumphus S. Joannis Baptistae lib. III, c. 12. Reliqua habentur in bibliotheca Alnensis Monasterii Ordinis Cisterciensis ex libro secundo fasciculi 88. ejusdem Ordinis dist. 26, cap. 61, fol. 263 Authore Rdo Patre Chrisostomo Henriquez Hortensi Cisterciensis monacho generali.“

„De hac re videri insuper potest Author ultimo citatus in Annotationibus ad Martyrologium praedicti Ordinis. Item Gerardus, Robertus, Rusca in suo Compendio tit. Monachi Sti Montalibus lib. 2, tit. 41. Joannes Abbas in Cathalogo Ss. Ordinis Cisterciensis — Missale antiquum prope finem — Angelus Manriquez in Laurea evangelica lib. 3, discursu 7 — Aubertus Myreus, lib. 7 Origin. monast. c. 15 etc.“

„Actum in praefato Florinensi Monasterio de mandato et autoritate Rdi admodum ac amplissimi Dni Car. li Saymon Abbatis nostri, die 18. Augusti Anno Dnicae incarnationis 1670.“

Utrum aliqua res memorabilis subinde evenerit, quae ad Sanctum nostrum pertineat penitus ignoramus; illud saltem affirmare licet, cultum jam medio saeculo XIII^o initiatum novis in dies auctibus excrevisse, sicut patet ex instrumentis translationis factae saeculo XVII^o, de qua nunc enclatius disserendum.

Carolus II Saymon, abbas Florinensis in ordine XLVIII (elect. 4. Nov. 1652; † 19. Jan. 1679), audita fama sanctitatis et miraculorum praedecessoris sui, a monachis Signiacensibus partem reliquiarum ejusdem postulavit, cujus piae petitioni annuerunt Signiacenses, duabus una die missis epistolis, quarum sententia haec erat:

Signiaci 27^a Septembris 1668.

Reverendo admodum Dno D. Abbati Florinensi
Reverende ac amplissime Domine

Quandoquidem pietas vestra vos duxerit ad exigendum a nobis partem corporis sancti Gerardi, quo melius ferventiusque cultum et honorem praeclaris ejus meritis debitum impendere possitis; sic justa ac pia animi exultatio quam modo habemus ac deinceps semper habituri sumus, occasione illius maximae (qua affici gaudemus) foelicitatis ex suo ad nos recessu tam ob insignem illius vitae sanctimoniam, quam ob miraculosam in hocce nostro Signiacensi monasterio omnibus notam conversationem, nos efficaciter induxit ad exhibendum vobis omnem satisfactionem, quam pius vester zelus a nostra libertate ac liberalitate poterat unquam expectare, prout sufficienter constare poterit ex schedula quam tradidimus in manus venerandorum Religiosorum vestrorum, quos pro foelici votorum piorum successu ad nos placuit destinare. Favete, quaesumus, fuisque ad Deum precibus, miserae huic communitati nostrae succurrite, coram Deo et hominibus sincere protestantes, quod ex parte nostra semper simus ac in omni occasione et occursu futuri simus.

Reverentiae vestrae, etc.

Sequitur schedula, de qua superius in epistola; quae sic inscribitur:

Reverendo ac amplissimo viro Dno Dno Carolo Saymon
Abbati Florinensi caeterisque ejus religiosis confratribus.

Nos infrascripti Prior et Religiosi Signiacensis Monasterii Domnus Nicolaus le Blan Prior. Dom. Joannes d' Argy Supprior, Dom. Nicolaus de Nepville, Dom. Daniel D' esté, Dom. Nicolaus Renault, Dom. Joannes Rogelet, Dom. Augustinus Jamart, omnes praefati Signiacensis Monasterii professis nostrae Communitatis corpus simul constituentes. Notum facimus quod fraterna charitate inducti occasione instantissimarum precum quatuor sibi vicissim succedentium Praelatorum celeberrimi Monasterii Florinensis dioecesis Leodiensis qui diversis temporibus obnixè a nobis postularunt

quatenus dignemur eis committere partem Reliquiarum Sancti Gerardi ejus apud nos corpus requiescit cum Altari in honorem Sancti Gerardi erecto, in quo celebrari vidimus et celebravimus ad laudem ipsius sacrosanctum Missae sacrificium, innixi certificationi Seniorum nostrorum quod trium saeculorum integrorum spatio magna ibidem fuerit habita et custodita pietas ac religio a tota vicinia ratione assiduorum miraculorum quae per merita praedicti Sancti dignatus est Deus operari, ita ut Abbas qui tunc temporis praeerat Monasterio coactus fuerit ei inhibere eorundem continuationem, eo quod innumerabilis populi confluxus, qui omni ex parte implorandorum ejusdem suffragiorum gratia illuc adventabat, divino officio nonnullum afferret impedimentum.

Insuper hoc motivo inducti quod praefatus Sanctus, antequam se huc conferret, Abbas extiterit in supradicto Florinensi Monasterio; omni ad hoc requisita via benigne concessimus Reverendo in Christo Patri Carolo Saymon moderno praetaeti Florinensis Monasterii Abbati caeterisque piis Religiosis ejus unam partem reliquiarum praedicti Sancti, nempe capitis partem, integrum os majus corporis ejus, nobilissimam ejusdem corporis partem, partim in pulverem, partim in frusta et ossicula redactam, quae maximo semper in honore et veneratione hic habita fuisse comperimus, quamquam vigore mandati sibi a praefato Abbate impositi super multitudine illorum quae tunc patrabat miraculorum, nullum modo ab illo tempore novum aliud innotescat utpote bellorum strage ex Archivis nostris, memoria et veneratione, ablata notitia quam de signis et miraculis ejus habere potuissemus, nisi quod nos seniores a postremis Patribus nostris per traditionem acceperimus, quod aqua illa cui sacra illius ossa aliquamdiu fuissent immersa vim haberet curandi quodvis morborum genus et infirmitatum. Caeterum tres sumus antiqui superstites ad perhibendum testimonium quod a quadraginta et quinque abhinc annis singulis festis diebus lampas ardens appensa fuerit juxta locum ubi sacrum praedicti Sancti corpus requiescit cum cerco in signum et testimonium reverentiae et religiosi cultus ipsi semper exhibiti ob praeclara merita et universalem vulgaremque virtutum ejusdem famam ac rumorem.

Ecce haec sunt super quibus testimonium proferre possumus, humillime supplicantes ut quemadmodum Dei optimi maximi annuente gratia tanti Sancti corpus fuit divisum et ad loca diversa ejusdem nutu et providentia religionis causa destinatum, ita simus inter nos uniti ad congruum cultum ei exhibendum, ut charitatis ac pietatis vinculo colligati Majestatem divinam pro nobis invicem tam vivis quam defunctis sine intermissione interpellemus.

Actum in Signiacensi Monasterio die vigesima septima Septembris 1668.
Sub sigillo duplici sequuntur subscriptiones.

Ex his haud dubium apparet, ab elevatione reliquiarum anno circiter 1234 facta, cultum proprie dictum sanctissimo Abbati in monasterio Signiacensi constanter impensum fuisse: cum ibidem habuisse dicatur Altare in suum

honorem erectum, in quo sacra Mysteria ad laudem ipsius celebrari solita fuerant. Cujus venerationis iudicia et ipsi Religiosi missi ab Abbate Florinensi testata voluere, in literis authenticis, quarum forma sequitur.

Nos infrascripti Florinensis Monasterii Ordinis Sti Benedicti ambo Sacerdotes et Religiosi attestantes omnibus notum facimus quod vigesima quinta septembris anni millesimi sexcentissimi sexagesimi octavi delegati a Rdo. admodum ac amplissimo viro Domini D. Carolo Saymon Abbate nostro, missi fuerimus ad Signiacense Monasterium Dioecesis Rhemensis in Campania, sub ducatu ac comitatu Rdi in Christo Patris ac Domini Nicolai le Blan praefati Signiacensis Monasterii Prioris, in ordine ad recipiendas ab ipso et a tota simul ejus ad hoc capitulariter congregata communitate sacras Reliquiae Sancti Gerardi de Orcimonte, Abbatis quondam Coenobii nostri in honorem SS. Joannis Baptistae et Mauri Martyrum prope Florinas dioecesis Leodiensis extracti, quas S. Reliquias extrahi decenter vidimus ex theca seu capsula in qua sacrum praedicti Sti Gerardi corpus, partim in crassiora et minutiora, partim in pulverem, quiescebat; et post sacrosancta Missae sollemnia in honorem S. Spiritus in praesentia venerandorum illius loci Religiosorum percelebrata, Rds Prior D. Nicolaus supra mentionatus totius Conventus sui nomine et autoritate easdem in manus nostras fideliter commiserit, et ea quae par erat reverentia, tradiderit, cum suis certiores nos reddens de veritate traditarum Reliquiarum Sancti Gerardi de Orcimonte, quas ipsis adstantibus sericis et holosericis ad id praeparatis pannis involvimus.

Insuper quod in eadem Ecclesia ostensum nobis fuerit sacellum in quo ab antiquo et immemorabili tempore erectum est altare in honorem ejusdem beati Gerardi, ubi seniores istius Coenobii protestati sunt se vidisse celebrari et ipsos celebrasse sacrosanctum Missae sacrificium pro diversorum morborum, maxime febrium, per illius interposita merita a Deo obtinenda curatione; quod saepe rei probavit eventus.

Quamobrem iterum protestamur ac in fide Sacerdotum Religiosorum certificamus quod sincere et fideliter, prout accepimus dictas reliquias tradiderimus praefato Rdo admodum Dno Abbati nostro caeterisque Religiosis confratribus nostris; et quod nullus mortalium iisdem imposuerit manus, donec per Superiores nostros ab Illustrissimo Domino Leodiensium Generali in spiritualibus Vicario de illis suscipiendis et totius fidelis populi cultui ac venerationi exhibendis obtenta fuisset in scriptis licentia, prout ex ipsius tunc ad nos transmisso diplomate unicuique hoc visuro fusius constare poterit.

In quorum fidem subscribimus praefati Florinensis Monasterii ambo Sacerdotes Religiosi

Fr. Joannes Matthey.

Fr. Simon Maron.

Porro sic se habet approbationis decretum a curia episcopali Leodiensi concessum, de quo in fine praecedentis attestationis.

Maximilianus Henricus Dei gratia.

Archiepiscopus Coloniensis et Princeps elector, Episcopus et Princeps Leodiensis, utriusque Bavariae et Bullonii dux, Marchio Franchimontensis, Comes Lossensis, Zongiensis, Hornensis, universis et singulis praesentes nostras litteras inspecturis Salutem in Domino.

Cum per sacrosanctum Concilium Tridentinum sancitum sit Sanctorum Reliquiis venerationem ac honorem a Christifidelibus deberi, fueritque nobis pro parte Rdi Dni Abbatis Monasterii Florinensis, Ordinis Sti Benedicti, Leodiensis nostrae dioecesis, expositum, quod ipsi a Dno Priore et Religiosis Monasterii de Signy, donatae fuerint certae partes Reliquiarum Sti Gerardi, videlicet pars capitis, os femoris integrum, et aliae ejusdem Sancti notabiles Reliquiae, in dicti Prioris ac Religiosorum attestazione sub data vigesima septimae septembris novissime praeteriti latius descriptae; Et ideo pro parte ejusdem D. Abbatis Nobis supplicatum, quatenus Reliquias hujusmodi approbare ac illas ad venerationem et cultum Sanctorum publice exponendi licentiam ipsi concedere vellemus et dignaremur; Hinc est quod nos pie ejusdem Dni Abbatis petitioni annuere volentes, ipsi easdem Reliquias uti veras Reliquias venerationi populo Christiano publice in sua Ecclesia exponendi licentiam tenore praesentium concedimus et impertimur facultatem. In quorum fidem praesentes per Vicarium nostrum in spiritualibus Generalem subscribi, sigilloque nostro solito communiri fecimus. Datum in civitate Leodiensi Anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo Mensis Octobris die duodecima.

Locus sigilli.

Jo. Ernest Baro de Surlet,
Vicarius Generalis Leodien.
de Coninck.

Sequuntur attestaciones Decani Couviniensis, et Thomae de Rye, Protonotarii Apostolici, tum de fidelitate translationis, tum de concordantia cum originali.

Haud satis habuit pius Abbas obtinuisse facultatem exponendi S. Reliquias publicae fidelium venerationi; insuper in animum induxit apud ipsam Curiam Romanam cultum b. Gerardi in tuto collocare. Quapropter, quo id facilius assequeretur, Vitam sancti Abbatis¹⁾ a monachis Florinensibus, collectis undique notitiis, sedulo exarandam necnon suprascripti Protonotarii testimonio fulciendam curavit. Quod testimonium de verbo ad verbum transcribendo subjicimus:

Cum officio prothonotariorum maxime incombant vitae Sanctorum collectio et descriptio, suprascriptamque vitae Divi Gerardi de Orcimoute quondam Abbatis insignis et celeberrimi Monasterii SS. Joannis Baptistae et Mauri Martyrum prope Florinas, Ordinis sancti Benedicti, dioecesis

¹⁾ Qualem supra exhibuimus.

Leodiensis, historiam ex Authoribus approbatis fideliter collectam compererim, eandem ad Urbem transmittendam Sanctissimoque Patri ac Dno nostro Dno Clementi divina providentia Papae decimo, et sacrae rituum Congregationi, ac ubi opus fuerit, producendam et exhibendam ad approbationem ejusdem cultusque dicti Sancti, parilis ac ejusdem in Monasterio Florinensi qui in Monasterio Signiacensi dudum invaluit, exhibendi facultatem ac licentiam, juxta beneplacitum ejusdem sanctissimi Dni nostri Papae, obtinendam, medietatis corporis seu Reliquiarum ejusdem Sancti ad Monasterium Florinense translatione et cum Signiacensibus divisione pariter necnon fidelis populi ad Monasterium Florinense devotionis erga dictum Sanctum causa adventantis, quique sublevamen adversus infirmitates suas, signanter febres, meritis et per intercessionem ejusdem Sancti experitur, concursu, attentis, aliasque ad omnes meliores fines et effectus cum submissione omnium iudicio sanctae Matris nostrae Romanae Ecclesiae subsignandam duxi, prout per praesentes subscripsi et subsignavi, quas etiam sigilli nostri jussimus appositione communiri. Datum Florinis sub anno a Nativitate Dni millesimo sexcentesimo septuagesimo mensis Octobris die decima quarta, indictione octava, Pontificatus vero sanctissimi Dni nostri Dni Clementis divina providentia Papae ejus nominis decimi Anno primo.

† Sigillum.

Tho: De Rye J. U. D.
Prothontus Aplicus.

Interim, dum res maturius apud S. Sedem aliquando tractandae sperabantur, non abstinendum sibi duxit Abbas Carolus, instante praesertim fidelis populi concursu et devotione, quominus Florinas cultum saltem illum qualemcumque introduceret, quem ab immemorabili tempore apud Signiacum vigere noverat. Ne tamen aliquid per se praesumeret, Doctorum sententias sollicite quaesivit, cujus consultationis actus et decretum quod ex ea manavit sic referuntur in Codice Mss.

Quandoquidem allatis anno 1668^o die 28^a 7bris e Signiacensi Monasterio Ordinis Cisterciensis in Gallia sacris Beati Gerardi de Orcimoute Reliquiis ad Monasterium Florinense, Ordinis Sti Benedicti, Patriae ac dioecesis Leodiensis, petita et obtenta tunc temporis fuerit ab illustrissimo Dno D. Ernesto de Surlet, Generali in spiritualibus Vicario, approbatio et licentia easdem exponendi publico fidelium cultui et venerationi, vigore testimoniorum quibus Signiacenses Religiosi testati sunt et veras esse praefati Sancti Reliquiae, et se habuisse in Ecclesia sua unum Altare in ipsius honorem constructum et consecratum, in quo celebrantur sacrosanctae Missae sacrificia; hinc ad satisfaciendum pie intentioni et devotioni illorum qui saepissime curant missas in ipsius Sancti Gerardi honorem celebrari, quaesivimus a doctissimis et eruditissimis viris desuper consultis, utrum in Monasterio Florinensi eodem Missas celebrandi, quo usi sunt privilegio Signiacenses Religiosi, uti liceret: qui

unanimiter responderunt nihil obstare quo minus id fieri possit in loco ad quam, servatis servandis, translatae sunt pro majori parte Reliquiae; inter quos sunt praefatus illustrissimus Dnus Vicarius Generalis Leodiensis, eruditissimi Dni Dumont et Werpen Stae Theologiae licentiatii et Seminarii Leodiensis professores, Consultissimus Dnus D' elkeye juris utriusque Doctor et Protonotarius Apostolicus; Consultissimus Dnus Jacobus Renson, J. U. licentiatius et almae universitatis Lovaniensis Syndicus, Rdus ac doctissimus Dnus Franciscus Renyer sacrae Theologiae quondam Lector et Pastor Couviniensis.

Quorum consiliis et resolutionibus tuto acquiescentes nos Abbas et Conventus Florinensis decrevimus in posterum Missas de Communi Abbatum in honorem Sancti Gerardi celebrare. Actum in Monasterio Nostro Florinensi Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo prima Octobris.

Neque dicta morata res est. Anno praecedente, jam consecratum fuerat Altare in honorem sanctorum, equorum numero erat S. Gerardus, sicut patet per instrumentum sequens:

Ad futuram rei memoriam, Nos Prior et Conventus Florinensis Monasterii in honorem SS. Joannis Baptistae et Mauri Martyrum constructi, testamur Reverendissimum Dnum Joannem Anthonium Blavier Suffraganeum Leodiensem de novo consecrasse Altare in honorem sancti Praecursoris Dni et Baptistae, SS. Mauri, Thimotei et Apollinaris Martyrum ac S. Gerardi de Orcimonte Abbatis, in sacello ubi nunc eorum sacrae Reliquiae requiescunt; ad instantiam Rdi admodum ac amplissimi Dni Caroli Saymon ejusdem Monasterii Abbatis, 13 7bris 1671.

Altari consecrato, Missam in honorem S. Gerardi ipse Abbas primus celebrare voluit, ita testantibus iisdem Religiosis.

Insuper nos iidem attestamur praefatum Rdum Abbatem primo solemnem Missam in honorem Sancti Gerardi de Orcimonte de Communi Abbatum in eadem Ecclesia nostra celebrasse 2 8bris, quae erat prima dominica illius Mensis 1672, non sine magno concursu et devotione populi, qui concioni et subsecutae cum sacris ejusdem Sti Reliquiis supplicationi interfuit anno quarto post earundem ad nostrum Monasterium e Gallia translationem annuente Dei O. M. favore et gratia, cui honor et gloria per omnia saeculorum saecula.

Nonnus Franciscus Renson Pr. N. Benedictus Clichet. N. Adrianus Lardenoy. N. Joannes Matthey, N. Guilielmus Hamaide, Por in Longlier, N. Simon Maron. N. Aegidius Leonardi. N. Placidus Bertrand Suppr. N. Joannes Bastin, N. Petrus de Werbecq. N. Gerardus Halle, N. Lambertus Jacquez. N. Perpetuus Adriani, N. Carolus Rouffe, N. Martinus le Moine. N. Maurus Dechosse. N. Deodatus D' el' Neffe. Fr. Hubertus Saymon, Fr. Bernardus Malfroy, Fr. Jacobus de Signy.

Piis dignissimi Abbatis conatibus clausulam apposuit Decretum, quo Curia Leodiensis ratum habuit cultum sic Florinas introductum.

Maximilianus Henricus Dei gratia Archiepiscopus Coloniensis et Princeps Elector, Episcopus et Princeps Leodiensis, utriusque Bavariae et Bullonii Dux, Marchio Franchimontensis, Comes Lossensis, Hoinensis etc. Universis et singulis praesentes nostras litteras inspecturis notum facimus pro parte Rdi Dni Abbatis et Religiosorum Monasterii SS. Joannis Baptistae et Mauri, Ordinis Sti Benedicti, prope oppidum Florinense, Patriae et dioecesis nostrae Leodiensis, fuisse expositum, qualiter ex liberalitate et munificentia Religiosorum Monasterii Signiacensis, Ordinis Sti Bernardi, in Picardia, praefatum Monasterium Florinense particeps effectum sit Reliquiarum insignium, et quasi medietatis earum integrarum quae extiterunt in dicto Monasterio Signiacensi totius corporis Sti. Gerardi de Orcimonte quondam Abbatis Florinensis, iisque Christifidelium publicae venerationi de nostris licentia et autoritate expositis, tanta favorum per Christifideles intercessione praedicti Sancti impetratorum et receptorum, praecipue circa levamen febrium, per totam nostram Patriam et vicinam fama percrebuit, ut magna cum devotione populus fidelis undique levamina requirens concurrat et petat multoties Missam in honorem praedicti Sancti celebrari. Cum autem illa celebretur de Communi Abbatum in dicto monasterio Signiacensi ab immemoriali tempore, atque attenta propemodum medietate reliquiarum praefati Sancti per supplicantes impetrata, Doctores resolverunt easdem Reliquias pari cultu et veneratione coli posse in praedicto Monasterio Florinensi, quibus in altero Monasterio coluntur et coli consueverunt; ideo nobis humillime postulati fecerunt praefati D. Abbas et Religiosi, quatenus ipsis Missam de Communi Abbatum pro populi devotione in honorem praedicti Sancti Gerardi de Orcimonte, quondam Abbatis Florinensis, celebrandi licentiam concedere vellemus et dignaremur: Hinc est quod nos hujusmodi supplicationi inclinati dictis D. Abbati et Religiosis petitam facultatem concesserimus, prout concedimus per praesentes. In quorum fidem easdem per Vicarium nostrum in spiritualibus Generalem subscribi, sigilloque nostro solito communiri fecimus.

Datum in Civitate nostra Leodiensi, Anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto Mensis Julii die vigesima quarta.

J. E. Baro de Surlet Vicar. gnalis.

Concordat de verbo ad verbum in orig.

Quod attestor

Aegidius Josephus Delhalle,

Scriba abbatiae Florinensis notarius Aplicus

anno 1674.

Ex illo ultimo libelli nostri documento suspicari est novos favores in nova regione meritis sancti Abbatis fuisse obtentos. Ceterum nos latet an unquam causa Romam delata fuerit. Certe illud asserere possumus, cultum B. Gerardi nunquam omnino Florinis,¹⁾ etiam post eversum Monasterium extremo saeculo XVIII^o, sublatum fuisse, licet ipsius Memoria, sicut et ceterorum fere Sanctorum, oblivione sempiterna diruta apud vulgus hodie videatur. Anno etenim praeterito, cum incendio consumi coepisset parochialis Ecclesia, Decanus, loco motis Capsulis, quibus quidem ignis pepercerat, in una ipsarum legit titulum sequentem :

Reliquiae Sancti Gerardi de Orcimonte Abb.

Intus vero invenit SS. Reliquias cum chartis authenticis et libello Mss. unde documenta ad cultum S. Abbatis pertinentia expressimus. Quae omnia oculis nostris et ipsi vidimus, manibusque contrectavimus, obtenta insuper, pro Maredsolensi nostra Ecclesia, S. Particula ex ossibus B. Gerardi.

Ecce haec sunt quae pro imbecillitate nostra ob amorem B. Gerardi describere in votis habebamus, ne penitus exstingeretur memoria unius ex sanctis contribulibus nostris in praenobili acie monasterialis agminis. Faxit Deus ne sint parentibus degeneres nati, qui, quam multi undequaque ex antiqua radice nostris diebus succrescant, videmus, gaudemus, sumus.

Laisirung der Ordenspersonen.

Von P. Bernhard Schmid O. S. B. in Scheyern.

Eine wesentlich durchgreifendere Aenderung des Ordensstandes als die Säcularisirung,²⁾ bewirkt die Laisirung der Ordenspersonen.

Wie schon der Name andeutet, besteht diese in der Zurücksetzung einer wirklichen Ordensperson in den Laienstand. Sie hat mit der Säcularisirung in mehrfacher Beziehung wohl einige Aehnlichkeit, ist aber sowohl in ihrem Wesen als auch in ihren Wirkungen von derselben gründlich verschieden. Während nämlich die Säcularisirung einer Ordensperson blos deren äusseren Verband mit der Ordensgemeinde und nur accidentielle Verbindlichkeiten des Ordensstandes zeitweilig oder für immer aufhebt, dagegen das auf

¹⁾ Percontati sumus apud rev. D. Decanum Signiacensem utrum in ipsius parochia cultus B. Gerardi nostrum ad aevum perstiterit, quem Martenius in suo *Itinere litterar.* (t. II, p. 150) adeo per regionem floruisse ineunte saeculo XVIII^o testatur. Responsum fuit animis prorsus amissam fuisse etiam nominis sancti Viri memoriam.

²⁾ S. »Studien« 1885. Heft IV.